

**www.e-rara.ch**

## **Io. Danielis Schoepflini ... Vindiciae typographicae**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Argentorati, 1760**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRf 47 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-29512>

Caput III. Typographia a Gutenbergio continuata & a Petro Schoeffero perfecta Moguntiae.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT III.

*Typographia a Gutenbergio continuata & a Petro Schæffero perfecta Moguntia.*

§. I.

**G**UTENBERGIUS quo se contulerit, Argentorato discedens, nulli scriptores, nulla Acta nos doceat. At circa a. 1450. artem suam, Argentinae inventam, continuaturus Moguntia, cum Joh. Fausto, cive Moguntino, typographicam societatem inivit, ut ex Instrumento a. 1455. (s) apparet. Virtute contractus hujus Gutenbergio Faustus suppeditavit pecuniam; Gutenbergius in officinae possessione permansit, operasque direxit. (t) Faustus ipse in Contractu professus est, Gutenbergio se suggessisse sumtus, typographicum ut perficeret opus. (u) Officina ergo Gutenbergii propria fuit, & pro suppeditata pecunia Fausto in pignus concessa.

Gutenber-  
gii socie-  
tas cum  
Fausto.

(s) SCHWARZIUS jam a. 1449. societatem initam fuisse, ex usuris collegit, quas a Gutenbergio Faustus, Instrumento hoc teste, petebat.

(t) HOFMANNUS in *Lexico Hist.* sub artic. *Joh. Faustus*, rem invertit: Gutenbergio divitias, Fausto paupertatem adscribens.

(u) Helmaspergeriani Instrumenti a. 1455. verba hæc sunt: *Do- mit er (Gutenberg) das werck volubringen solt.* Et paulo post: *daruff Johann Guttenberg geantwort hat, dass ym Johann Fust 800. gulden verlacht solt hain, mit solchem gelde er (Johann Guttenberg) sin geczüge zurichten und machen solte.* Et mox: *doby wol zu versteeen sy, das er (Johann Guttenberg) solch werck (der bücher) mit sinem gelde, das er (Fust) ym uff sin pfande gelichen hab, volubringen solt.*

## III §. 2.

Libri tum  
impressi.

Durante hac societate ex Gutenbergiano Moguntia prelo aliquot libri prodierunt, sed sine temporis, loci, & artificis nota. Quodli HADR. JUNIUM (x) audias, primus ibi foetus a. 1442. literis mobilibus prodiit *Alexandri Galli Doctrinale*. (y) TRITHEMIUS (z) vero ex relatione Schœfferi scribit, primum Moguntina typographia factum esse *Catholicon*, (a) sed typis fixis impressum, cui *Biblia* literis successerint fusis. At Schœfferianæ narrationis falsitatem Acta nostra coarguunt. Gutenbergius, a. 1436. mobiles typos Argentorati tractare jam solitus, ad literas fixas post XIV. annos num rediturus fuisset?

Rectius ergo COLONIENSE CHRONICON (b) primum librum, a Gutenbergio Moguntia mobilibus literis impressum, *Biblia* fuisse memoravit. Libelli, Argentina sine diei & loci nota impressi, jam diu vastum hoc præcesserant opus. Codicem Bibliorum in Baronis Craffierii, Nobilis Leodienfis, Bibliotheca a. 1731. conspexi, quem referendum huc non sine ratione existimo. Typos inter se omnes fere dissimiles, adeoque sculptos, in eo inveni. Eadem litera modo tenuior vel crassior, modo altior vel brevior; eadem char.

(x) *Batavia* pag. 257.

(y) Grammatica est, brevis versibus scripta.

(z) *Chron. Hirsaug.* a. 1450.

(a) *Vocabularium* appellat TRITHEMIUS. Collegii Claramontani Bibliothecæ Codicem memorabilem *Catholicon*, qui a *Catholico* JANUENSIS, a. 1460. impresso, diversus, exponit Illustris SALLIERIUS, Reg. Bibliothecæ Custos, in *Commentariis Acad. Reg. Inscript.* tom. 14. p. 250.

(b) *Chronica van der hilliger stat von Coellen*, a. 1499. impressa Colonia, fol. 312.

tarii insignia, bubulum nempe caput, quæ in sequentibus Fausti libris comparent, in Bibliis quoque Crasserianis occurrunt. Paginae in duas sunt divisæ columnas. (c) NAU-DÆUS, (d) KOELERUS (e) & MARCHANDUS (f) Biblia hæc cum illis, quæ Faustus a. 1462. literis fuis impressit, confundunt.

Gutenbergianos hos typos, sculptos ex ligno, Moguntia ab eo adhibitos, SERARIUS (g) & PAULUS PATER (h) in hac urbe viderunt, eosque ita describunt, uti Gutenbergianos Argentinenses descripsit SPECKLINUS. (i)

§. 3.

Vix per quinquennium hæc societas duraverat, cum de non solutis usuris Gutenbergio litem intenderet Faustus. Societas rupta. Cecidit ille causa; atque occasione hac typographia a. 1455. in Fausti manus devenit. Conditum hac super re ab Helmaspergero, Notario Moguntia, Instrumentum, (k) quod

(c) SCHWARZIUS describit hæc biblia in *Indice novo librorum* pag. 28. Simile exemplum Uffenbachiana Bibliotheca continuit.

(d) *Additions à l'Hist. de Louis XI.* pag. 234.

(e) *Ehrenrettung Guttenbergs* pag. 96.

(f) *Dissert. sur l'Imprimerie* pag. 102.

(g) *Rer. Moguntin. Lib. I. c. 37.*

(h) *De Typographia* pag. 10.

(i) Conf. Cap. IV. §. 1.

(k) Instrumentum hoc a. 1455. scriptum idiomate German. d. 6. Nov. edidit primum Perillustri SENCKENBERGIUS tom. I. *Selector.* pag. 269. KOELERUS in *Guttenbergs Ehrenrettung* pag. 54. & SCHWARZIUS in *Primariis Docum. de Orig. typograph.* Part. I. pag. 5. Commentarium Instrumento addiderunt.

modo allegavimus, cui Petrus Schœfferus interfuit testis, qui in eo simpliciter *Petrus Gernsheim*, *Clericus* (1) dicitur. Ab hoc ruptæ societatis tempore Schœfferum sibi arctius Faustus adjunxit.

## §. 4.

Petrus  
Schœffe-  
rus.

Schœfferus, latine scribentibus sæpe dictus *Opilio*, Gernsheimensis (m) origine, scriba librarius fuit. Hujus ordinis homines generico sæpe nomine *Clerici* dicebantur, (n) qui in publicis scholis scribendo sibi victum para-

(1) *Peter Gernsheim und Johannes Bonne Clericken Mentzer statt und Bistum*. Ipse Notarius quoque se appellat *Clerick Bamberger Bistums*.

(m) *Gernsheim* oppidum ad Rhenum, in Electoris Moguntini, non vero in Landgravii Hasso-Darmstadiensis ditione, ut scribit MARCHANDUS *Hist. de l'Imprim.* pag. 8.

(n) *Clericus* non modo Laïco opponebatur, sed & peculiari significato *Actuarium*, scribam amanuensem significavit. Hoc sensu *Clerici Regis*, id est, Secretarii. Hodieque Galli scribas suos appellant *Clercs*. Schwarzius, proprio significatui vocis inhærens, sacerdotalis ordinis hominem eum fuisse existimavit; duosque adeo constituit Petros Schœfferos, illum, quem Faustus in Epigrammatis *Clericum* vocat, distinguens ab altero, quem *Puerum* appellat. At male distinguit. Faustus ad a. 1465. usque eum *Clericum* dicit; dein *Puerum*, quod illo tempore statum mutavit, ex scriba factus typographiæ operarius, ut Fausto, qui filiam ei suam destinaverat, in officina succederet. SCHWARZIUM vide in *Documentis suis de Orig. Typograph. Part. II. p. 17.* JOH. SCHOEFFERUS in *Notitia, Compendio Trithemiano* subjuncta Petrum Schœfferum Fausti ministrum & filium adoptivum vocat, cui filiam dederit in matrimonium. TRITHEMIUS in *Annal. Hirsaug.* ad a. 1450. eundem Schœfferum *famulum*, postea *generum* Fausti fuisse scribit.

runt; quod Lutetiæ quoque fecit Schœfferus. Librariis his fuisse typographi. Chartaceum Bibliotheca Argentinensis Academica Codicem servat, quem Schœfferus a. 1449. Lutetiæ sua manu exaravit. (o) Inscriptio, uncialibus literis calci libri adjecta, testis est, eum ex illa librorum classe fuisse, qui dicebantur *Calligraphi*. Specimen hujus Codicis in *Documentis* produco. (p) Paucis post annis Moguntiam eum pervenisse necessum est, quoniam Gutenbergii & Fausti operas & consilia juvit, antequam societas eorum rupta fuisset, quod ex Epigraphe poetica, *Institutionibus Juris* a. 1468. a Petro Schœffero impressis adjecta, colligimus. (q) Id certum, quod officinam Gutenbergii, ad Faustum delatam, direxerit Schœfferus; Gutenbergius alter, qui calligraphus sculptoribus literas sculpendas præscripsit.

§. 5.

Schœfferianæ ergo præsertim industriæ præstantissimum illud PSALTERIUM Fausti debetur, uncialibus literis ac capitalibus pulcherrime sculptis (r) & variegatis colore, in

Psalterium Mogunt.

(o) Codex ille, exaratus Lutetiæ, ex urbe hac Laudunensi Monasterio Fratrum Minorum, indeque, nescio quo fato, Argentinæ illatus est.

(p) Tab. VII. Annoto hic, primos typographos ex pictoribus, scribis, sculptoribus provenisse, ob artium harum cum typographia affinitatem.

(q) Ubi Schœfferus de se ait: *Cum quibus* (Gutenbergio scilicet atque Fausto) *optatum Petrus venit ad poliandrum*. Extant hi versus apud SCHWARZIUM in *Primariis Documentis de Orig. Typograph. Part. III. pag. 17.*

(r) MORERIANUM *Lexicon*, voce *Imprimerie*, Psalterii hujus literas pro fuis habet, non pro sculptis, adeoque aberrat a vero.

usum Chori, forma folii majoris (s) Moguntiaë impressum, a. 1457. in Vigilia Assumptionis perfectum; Gutenbergianæ typographiæ, literis sculptis exercitæ, & ad summum elegantiaë & perfectionis gradum a Schœffero perductæ, incomparabile monumentum; quod artifices, Lutetiæ & Vindobonæ mecum examinantes, mirati sunt mecum. Miniatores in Codicibus scriptis literas initiales nonnunquam ita producebant, ut una sola gyris & ductibus suis magnam marginis partem compleret. Ducentas octoginta octo hujus generis literas, ligno insculptas, variisque coloribus impressas in *Psalterio* adhibuit Schœfferus. (z) Faustus vero, gloriaë cupidus, opus tam præstans absque nomine suo in publicum prodire noluerat, unde primus hic omnium liber est, artificis, loci & anni nota signatus.

(s) MAITTAIRIUS *Anal. typogr. t. I. pag. 35.* & PROSPER MARCHANDUS *Hist. de l'Imprimerie pag. 34.* qui librum non viderant, eum quartæ formæ adscribunt. Impressus est in usum Chori, ut Cantores e longinquo textum legere possent, & speciatim in usum Chori Abbatiaë Benedictinæ D. Jacobi in Monte specioso Moguntiaë. In fine exempli a. 1459. legitur: *in laudem Dei ac honorem S. Jacobi.* In notitia exempli a. 1490. *ad laudem Dei & honorem S. Benedicti;* ut ipsa Codicum hujus monasterii me inspectio docuit.

(t) Plerique scriptores literarum capitalium, typis impressarum, usum longe ferius ponunt, quod *Psalterium* non viderant; nec viderant Durandum, cujus in *Rationali* nonnullas quoque literas capitales partim rubro, partim cœruleo colore impressas deprehendi, cum Illustris SCHWARZII exemplum Altorfii inspicerem. Vide *Documenta ejus de Orig. Typogr. Part. II. pag. 10.*

§. 6.

Schœfferus, a Gutenbergio & Fausto in artis tractatione ad literas penna designandas præsertim adhibitus, typorum sculptilium incommoda sentiens, excogitavit matrices, ex quibus metallici typi promptius, omnesque inter se fundentur æquales; unde mirus arti nitor & pulchritudo accessit. Epocha matricum. Epocham in illo temporis spatio, quo Gutenbergii cum Fausto societas duravit, adeoque inter a. 1450. & 1455. ponenda est. Jo. SCHœFFERUS, Petri filius, annum 1452. designasse videtur, quando in Notitia, *Chronico Tribemiano* (u) affixa, scribit, Faustum anno 1450. artem proprio ingenio excogitare cœpisse, at a. 1452. Petri Schœfferi perfecisse auxilio.

§. 7.

GUIL. DURANDI *Rationale divinatorum officiorum*, quod a. 1459. ex Fausti officina Moguntiaë prodit, primus liber est, mobilibus typis fuis impressus. Libri typis fuis impressi. Nova hæc literarum parandarum inventio, novam typographicæ artis constituens epocham, Moguntiaë & Schœffero solis debetur: ut epocha præcedens Argentinaë & Gutenbergio quoque solis tribuenda. Ambæ urbes id porro inter se habent commune, quod exterius in utraque invenit; Schœfferus Gernsheimenensis Moguntiaë, Gutenbergius Moguntinus Argentorati. Hic artis primitias dedit, ille artem perfecit.

Sic Moguntia biennii spatio typographicæ literarum sculptarum artis juventam, & fufilium infantiam intra mœnia sua conspexit; ut ex instituta *Psalterii & Rationalis Durandi*

(u) *Chronicon* impressum Moguntiaë a. 1515.

inter se comparatione apparet. Pfalterium magnis & terribus, Rationale minutis & non fatis elegantibus (x) impressum est typis; qui Romæ (y) mox & Venetiis (z) correcti. A. 1460. JO. BALDI DE JANUA *Catholicon*, quod Lexicon etymologicum est, itidem Moguntia, sed absque nomine artificis; a. 1462. *Biblia Latina*, Fausti & Schoefferi nominibus adjectis, prodierunt. (a) His BEN- GELIUS (b) *Biblia* quoque *Germanica*, ab iisdem eodem anno edita, accenset. At Notitia duplex, in fine non impressa, sed manu exarata, antiquissimo cuidam Bibliorum Germanicorum exemplo a falsario addita est. (c) Uno

- (x) Typus characteres manu exaratos imitatus est, ubi abbreviationes frequentes.
- (y) Hanio, Pannarzio, Schweinhemio Germanis artem afferentibus Roman, Romani illam formam typis dederunt, quæ nomen *Romanæ* hodieque obtinet.
- (z) Veneti circa a. 1469. nitido caractere jam usi sunt, Nic. Jenfoni Galli ingenio. Sed Gothicus successit. Illius, quem *Italicum* dicunt, Aldus Manutius creditur inventor. Varias fusilium typorum formas & nomina exponit PAULUS PATER in *Dissertat. de Arte Typograph.* Id porro observandum, scriptores antiquos & humaniorum literarum plerisque literis Romanis; Theologicos & Juridicos literis Gothicis vel semi-Gothicis, primitus impressos fuisse, quem characterem corruptum lectuque difficilem, cum terete illo Romano introductum, ipsi quoque Itali, Galli, Germani aliquandiu secuti sunt.
- (a) Inscriptiones, quas primis Codicibus, huc usque recensitis, in fine Faustus adjecit, Cap. VI. exponimus.
- (b) In *Apparatu Crit. Novi Testam. Græci*, a se editi, pag. 641. 758. 783. & 838. Adde WIDEKINDI *Verzeichnus von raren büchern*, Part. III. pag. 443.
- (c) Una ex inscriptionibus finalibus similis est illi, quæ Bibliis annexa Latinis, sed forma literarum dissimilis, nec sculpta, sed scripta. Altera stylo quoque diverso comparet. In una

eodemque tempore Faustus cur duo diverſi idiomatis Biblia edidiſſet? Cur Latinis modo, non etiam Germanicis formulam conſuetam, typis impreſſam, adjecturus fuiſſet? Cur in ſola Wirtenbergenſis Conſiſtorii Bibliotheca tale exemplar occurrit?

§. 8.

Ceterum eo ipſo tempore, quo Biblia Latina ſua Fauſtus per orbem diffuderat, ars typographica quoque evolavit Moguntia. Argentina ſuas literas ſculptas, Moguntia ſuas fuſas huc uſque occultaverant. (d) Sed typographi ſodales, velut in ergaſtulo Moguntia habiti, urbe ab Adolpho Archiepiſcopo, Theodorici æmulo, d. 27. Octobris capta, diſperſi ad alias Europæ partes typographiam tranſtulerunt. Fauſti nepos ex filia, JOHANNES SCHOEFFERUS, in adjecta *Chronico Tritheimiano* notitia rem his verbis exponit: "Retinuerunt autem hi duo jam prænomi-  
" nati Joh. Fuſth & Petrus Schœffer hanc artem in ſecreto  
" (omnibus miniſtris ac familiaribus, ne illam quoquo

Typogra-  
phia evul-  
gata.

Petrus Schœfferus appellatur *Clericus*, in altera *Puer. SCHWARZIUS* in *Primariis Documentis de Orig. Typograph. Part. II. pag. 15.* errat, quod brevem modo inſcriptionem Bibliis his additam ſcribit: *Johan Fuſt, Moguntinus Civis A. MCCCCLXII. effecit.* Pro una duplex addita eſt, ſed manu exarata.

(d) *GEVILERUS* in *Panegyri Carolin. fol. 19.* primæ edit. ait:  
" Ipsi quidem vidimus ſyngraphum Joannis Mentellin & Hen-  
" rici Eckſtein, Argentinensium civium, ſuper certis pactis,  
" quibus alter alteri ſeſe eo tempore obligaverit, cauſa occul-  
" tius hanc impreſſoriam artem inter ſe primum exercendi,  
" quæ nimirum quotidiano uſu novis adinventionibus clarior  
" reddita eſt. " *PANTALEON* de *Viris Illuſtr. Part. II. pag. 397.* ait: primos typographos ita celaffe artem, ut litteras in ſacculis clauſis ſecum in officinam ferrent.

„ modo manifestarent, jurejurando adstrictis ) quo tan-  
 „ dem de anno Dom. MCCCCLXII. per eosdem fami-  
 „ liares in diversas terrarum provincias divulgata haud  
 „ parvum sumsit incrementum. ” Codices impressos pro  
 libris manu exaratis quum caro pretio venderent, lu-  
 cri cupido primos Argentinenses & Moguntinos typogra-  
 phos induxit, ut artem, quam diu possent, celarent. Glo-  
 riæ cupiditas denique impulit Faustum, ut in libris impres-  
 sis primus novæ artis faceret mentionem. Argentinenses  
 Gutenbergio ante Faustum sociati, Fausto modestiores,  
 ex gloria, Gutenbergio debita, sibi nihil arrogarunt; unde  
 altum apud eos de inventione typographiæ silentium. Gu-  
 tenbergii, extra Argentinam tum viventis, erat, thrafo-  
 nem illum gloriosum reprimere Faustum. (e)

(e) Monstruosa Italici scriptoris relatio Pamphilum Castaldum,  
 Nobilem Feltrinensem, artis typographiæ inventorem con-  
 stituit, a quo eam didicerit Faustus. Ita sane ANTONIUS  
 DEL CORNO in libro, cui tit. *Memorie Historiche di Feltri*,  
 Vid. *Journal des Sçavans*, mense Octobr. a. 1712. pag. 470.

